UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt IX. De altero fructu passionis Christi Domini, qui est justitia, quæ in virtutum omnium ornatu, & complemento consistit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

mum mortis genus crucem putabant : crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit; non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ipse contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit; tota itaque vita ejus in terris, per hominem, quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit, hæc sanctus Augustinus. Sancti quoque Prosperi in eandem sententiam verba sunt : *Quid est ambulare, sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera, quæ contempsit : non timere adversa, quæ pertulit, libenter facere, quæ fecit, docere, quæ docuit : sperare, quæ promisit, & sequi quò ipse præcessit.* Ista igitur est vera, & generalis Christi Domini imitatio, contrariam omnino mundi placitis opinionem constanter tueri.

Crux ergo Christi, quasi bilanx est, in qua appendere, & ponderare debemus res omnes spirituales, & temporales, ne dolosa staterâ Chanaan decipiamur, qua mundani homines momentaneum deliciarum, parvum aliquod interesse lucri, aut honoris punctulum, Deo ipsi, & universis Dei bonis præponderant: sed Crux Christi pondus est sanctuarii, & vera rerum omnium ad cultum DEI pertinentium statera, justum unicuique pondus, & valorem assignans.

Excellentiam itaque meditationis vitæ & passionis Christi Domini, vel hinc manifestè intelligere licebit, quod per eam res omnes perfectè, fundiùs, & absque erroris periculo dignoscantur, & cæcitas intellectus nostri perfectè curetur, sicque pretioso hoc sanguinis JESU Christi Collyrio inunctis intellectus nostri oculis, & ab omni mundana fraude, & deceptoria vanitate liberatis, illucescere incipit Christus Dominus vera & sola Sapientia nostra, & hic primus fructus est sacrosanctæ vitæ, & passionis.

CAPVT IX.

De altero fructu passionis Christi Domini, qui est justitia, quæ in virtutum omnium ornatu, & complemento consistit.

SEcundus fructus passionis JESU Christi, qui vivacitate fidei manducatur, est Justitia, quæ in virtutum omnium ornatu, & complemento consistit.

Ac ut à charitate incipiamus, clarum est, nulla esse majora aliquem amandi incentiva, quam bonitatem, reciprocum amorem, & beneficia: Quænam autem major bonitas, aut excellentior charitas, aut beneficia potiora ab homine, aut Angelo excogitari queant, quam ea, quæ nobis per JESUM Christum exhibita sunt, quam ra-

Luc. 12. tionabiliter inquiebat Salvator, *ignem veni mittere in terram* : quis enim ignis tantis ad amorem motivis instructus ardentior? unde Sanctus Ambros. dicebat aliis beneficiis nos ad Deum redamandum obligatos, isto violentatos; nam & sic di-

2. Cor. 5. xerat Apostolus : *Charitas enim Christi urget nos, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*

Nam quid sunt tot flagella, spinæ, verbera; nisi quædam quasi coactio, & amoris violentia, nos ad Deum tenerrimè & fortissimè diligendum impellens, qui tanta pro nobis sustinere non est dedignatus?

Isdem motivis amoris, spes etiam nostra ad-

mirabiliter fulcitur; nam quid non à tanta sperabo Bonitate, quæ tantos, ut mihi cælum aperiret, exantlavit labores? Cui majori cum securitate confidere possum, quam illi, qui ita me amavit, ut ne moreter, ipse pro me mortuus fuerit? quomodo non medebitur infirmitatibus meis nunc, cum sine ulla difficultate id possit, qui tantis suis expensis quæsivit malis meis medicinam? aut quî possum, vel levi in petendo diffidentia titubare, cum donaverit mihi Christus Dominus & in vita, & in morte omnia sua merita, jejunia, vigilias, fatigationes, fletus, labores, cruciatus, famem, sitim, dolores, mortem, & universam passionem suam, quæ condolenter recolens pro meorum remissione peccatorum, & bonorum impetratione, pretium ex rigore sufficientissimum offeram Deo Patri.

Deinde si ad virtutes morales descendamus, quam clarè eæ omnes resplendent in vita, & passione Salvatoris? & incipiendo à fundamento, humilitate scilicet quid aliud deprædicat præsepe, stabulum, circumcisio, fuga in Ægyptum, baptismus, diaboli tentatio, &c. quid clamant aliud, quæ ipsos etiam Angelos obstupefacere possunt, Deum videre captivum, & violenter, tanquam scelestissimum latronem ligatis, & concatenatis manibus, protractum, tanquam blasphemum, sputis conspurcatum, ut stultum, & morionem spretum, & illusum, ut malefactorem ac nefarium scurram flagellatum, Barrabæ postpositum, & inter latrones crucifixum.

De obedientia Christi D quid dicemus, nisi quod per Apostolum Spiritus sanctus, *cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO; sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2.

Patientiæ opus fuit tota simul vita JESU Christi Domini nostri, licèt enim in illa omnes in summo perfectionis gradu reperiantur virtutes, elegit tamen Dominus pro redemptionis nostræ medio dolores, & mortem pati, qui actus est patientiæ, à charitate tamen imperatus, & ideo non absq; fundamento dicitur virtus patientiæ vestis fuisse nuptialis, qua indutus Dei filius, in thalamo Crucis, sanctam sibi Ecclesiam desponsavit.

Longius, quam par est, procedendum foret, si singulas, quæ in vita Domini coruscant virtutes, prosequi vellemus, velut agninam mansuetudinem, inter accusantium undique luporum, & falsa testimonia effingentium rabiem: tam extremam paupertatem, ut in stabulo nascatur alieno, & in morte non alium possideat lectum, quam crucem, non aliud cervical, quam coronam spineam, non aliam vestem, quam ipsam nuditatem, non aliam mensam, quam fellis, & aceti, nec aliam sepulturam, quam eleemosyna à Joseph oblatam: paupertatis denique comitem, vitæ asperitatem, quam testantur exilium in Ægyptum, diversa itinera, fatigationes, cibus vilis, lectus durus, domus angusta, aut nulla; siquidem ipse dicit, *filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

Hæc in isto libro à DEO Patre ad animarum nostrarum sapientiam, justificationem, ac sanctitatem tradito, legere debemus, non tamen absq; vivæ fidei exercitatione, sine qua omnis ferè ista lectio infructuosa erit.

Hoc adumbrare voluit, antiqua illa cæremonia esus agni paschalis, (qui Christum verum agnum significabat) præcipiebat enim lex, *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni.* Exod. 12.

Hoc præcepto à litera occidente ad spiritum vivificantem nos præeruditi Dominus, futuros aliquando, qui sanctum & immaculatum novi testamenti agnum, non divini ignis calore & amore assatum, sed crudum comesturi erant, non sine dolore, & nausea stomachi, quales sunt non soli hæretici, & infideles: de quibus inquit, Paulus: *nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*: sed etiam Christiani quamplurimi in Dei servitio tepidi, & abyssо peccatorum immersi, qui sine igne charitatis, & vivæ fidei luce, quam extinctam gerunt nullum queunt in JESU Christo agno delicatissimo gustum, aut saporem invenire, sed omnia cruda eis sunt, & insipida. 1. Cor. 1.

Verum animæ divini amoris igne succensæ, quibus Christus Dei virtus est, nobilissimo agni hujus assati nutrimento sustentantur; dum in eo intellectus haurit sapientiam, voluntas sanctificationem, appetitus malorum frænum, bonorum stimulum, omnes autem piè manducantes, totius animæ robur, & refectionem.

CAPVT X.

Qualiter fides exercitanda sit circa Sacramentorum tum susceptionem, tum administrationem.

SEptem legis gratiæ Sacramenta, quæ Christus Dominus in Ecclesia sua instituit, sunt instrumenta præcipua, ac vasa gratiæ, quibus animas nostras sanctificat, & fructum passionis, ac sacrosancti Sanguinis sui communicat: de quibus explicare consequenter congruum fuerit, qualiter ad horum usum, secundùm fidei lucem, practicè procedere debeamus.

Primò itaque notandum est, quod sicut ex costa, è latere Adæ dormientis à Deo extracta, efformata fuit Eva ipsius sponsa: ita ex latere secundi Adæ Christi Domini mortis somno in Cruce dormientis, extracta fuerit sancta ipsius Sponsa Ecclesia. Ex ipsius enim divino latere, quasi ex copioso, & primario fonte promanavit Sacramentorum gratia, qua Sponsa Christi ornatur ceu dote, & arrha desponsatoria. Sunt Sacramenta velut septem canales, per quos sanguinis, & passionis Christi D. fructus, ad animas nostras derivatur, & deducitur.

Vivâ ergo fide sancta Sacramenta venerari debemus, tanquam gratiæ divinæ instrumenta, velut medicinas virtute sanguinis immaculati agni Christi confectas, & quasi vasa sacrata, pretiosum istum redemptionis nostræ liquorem, ad vulnerum nostrorum medicinam, & perfectam infirmitatum nostrarum medelam continentia, tanquam fontes aquæ vivæ salientis in vitam æternam: de quibus vaticinabatur Esaias Propheta, cum dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* *Fontibus*, inquit, septem Sacramenta significans, ex quibus profluit aqua septiformis gratiæ, diversis morborum, & infirmitatum spiritualium generibus appropriata: aut sicut rivos septem ex latere Christi JESU Crucifixi prorumpentes, aut etiam tanquam septem planetas, novum hunc Ecclesiæ orbem influentiarum suarum virtute gubernantes.

Vivæ fidei praxis circa baptismi Sacramentum.

§. 1.

CIrca baptismi Sacramentum, vivæ fidei praxim ponit venerabilis Beda, sic ajens: *Natura spiritus invisibilis est, carnu visibilis: atque ideo carnalis generatio visibiliter administratur (visibilibus enim incrementis, qui in carne nascitur, per ætatum momenta proficit) Spiritalis autem generatio tota invisibiliter agitur: nam videtur quidem, qui baptizatur in fontem descendere, videtur aquis intingi, videtur de aquis ascendere; quid autem in illo lavacro regenerationis egerit, minimè potest videri, sola autem Fidelium pietas novit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit: filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit: filius prævaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit: filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascendit: filius Diaboli descendit, sed filius Dei ascendit: sola hoc Ecclesia mater, quæ generat, novit:* neque enim cum Baptismo assistimus illum solummodo baptizandi ritum, immersionem in aquam, exteriorésque cæremonias attendere debemus, sed præcipuè oculis fidei intueri, qualiter in Christo JESU, noviter regeneratus, in novam transeat creaturam, & plena peccatorum remissione percepta, gratiæq; ornamentis decoratus, in statum descendat adoptionis filiorum Dei. Beda in 1. 1. 2. 3. cap. 3.

Circa Sacramentum pœnitentiæ.

§. 2.

RElictis ceteris Sacramentis, de iis solùm agemus, quæ nobis in via spiritali sæpius frequentandâ occurrunt, videlicet pœnitentiæ, & sacrosanctæ Eucharistiæ.

Ad Sacramentum igitur pœnitentiæ accedat fidelis pœnitens, tanquam infirmus ad medicinam, & ut verè est mortuus ad vitam, & cum vero contritionis dolore, pedibus ministri Christi Domini advolutus, humiliter omnia sua confiteatur peccata; quando autem ei beneficium impenditur absolutionis, existimet sacrum animæ suæ exhiberi balneum pretiosissimi sanguinis JESU Christi, quo ab omnibus expurgetur, & emundetur peccatis, & renovata cælesti in conspectu Dei pulchritudine, nova gratiæ virtute adeam non amplius deinceps offendendum roboretur.

Novi personam quandam, quæ ista fidei ergà Sacramentum hoc animatione, quoties sacram suscipiebat absolutionem, tanta sui recollectione introrsus ferebatur, ut paulò minus extra raperetur.

Vberes fructus adfert hæc in Sacramento pœnitentiæ vivacis fidei consideratio. Primò quidem, quia maximi, quod confertur, beneficii expensio, ad majorem, & pleniorem dispositionem, ac tantæ gratiæ frequentationem impellit.

Secundò, quia cum pœnitens Sacerdotem ministrum, ut DEUM fidei oculo intuearur, non erubescit, neque confunditur omnia sua peccata, latentes conscientiæ suæ sinus aperire; insuper remedium in angustiis, lucem in dubiis, & difficultatibus, per ipsum à Deo expectat, quidquid ille dixerit, aut mandaverit, tanquam sibi

Eph. 2.